



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

6. & 7. Argumentum principale ponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

constitui per futuritionem creaturæ; quia ipsa futuritio est effectus voluntatis Dei efficax, & ideo non potest oriri ab actu inefficaci; sed effectus non constituit causam efficientem, à qua oritur, & ideo Petrus, qui est filius non potest constituere suum Patrem in esse causæ talis filij; nam quod est prius non constituitur à posteriori; sicut negatio futuritionis non potest constituere formalissime à priori in esse actus inefficacis distincti ab actu efficaci voluntatem illam qua vult Deus omnes homines salvos fieri; quia talis negatio est effectus talis voluntatis: ergo voluntas illa absoluta gloriæ D. Petri, & voluntas illa inefficax gloriæ omnium hominum constituitur à priori, & distinguuntur à priori per aliquid distinctum ab effectibus eorum; unde aliquid est distinctum; per quod constituuntur actus ille volendi gloriæ omnium hominum, & actus volendi gloriæ D. Petri; in quo debent opponi, sed non est aliud, nisi efficacia, & inefficacia illorum: ergo duo illi actus in seipsis considerati propter prioritatem naturæ præcedunt suos effectus futuritionis, & negationis futuritionis ab æterno, & propter prioritatem æternæ durationis præcedunt actiones actuales, & terminos existentes productos per illas ita se habent, ut unus sit efficax, & alter inefficax: ergo falsissimum est dicere, actum efficacem, & inefficacem non esse ab æterno tales, sed constitui per actionem, &c.

¹¹⁷ Confirmatur; quia si Dei volitio efficax libera non est plene constituta, nisi per relationem rationis, hoc est ut ipsi explicant per extrinsecam denominationem ab effectu, vel ab eius productione transeunte, consequens erit productionem transeuntem ad extra priorem esse, quam efficax volitio Dei constituta sit in ratione volitionis liberæ, ac determinate versantis circa determinatum obiectum. Sequela probatur; quia productio transiens ad extra est prior, quam extrinseca denominatio, vel connotatio productionis; etenim hæc resultant ex illa. Quapropter eadem productio prior erit, quam volitio sit constituta per denominationem, aut connotationem.

¹¹⁸ Consequens autem esse falsum probatur *primo* Ioannis 4. [in hoc apparuit Charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum ut vivamus per eum; in hoc est Charitas: non quasi nos dilexerimus Deum; sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum &c.] & *versus finem eiusdem capituli* [nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos;] quo circa transiens actio, qua Deus in nobis producit nobiscum charitatis actum, quo diligimus Deum & denominatio, seu connotatio inde resultans non est prior quam actus Charitatis divinæ, per quem nos diligit, & vult in nobis causare dilectionem Dei.

¹¹⁹ Prioritas eadem significatur Ioan. 15. [non vos me elegistis, sed ego elegi vos] nam Deuter. 26. Moyses ait [Dominum elegisti hodie.] Quamobrem Apostoli Dominum Iesum Christum elegerunt libere sed non priores elegerunt, sed prior eos elegit Deus, ut ipsi eligerent: ergo libera electio fuit prior in Deo, quam productio creatæ electionis ad extra.

¹²⁰ Præterea probatur, quia nisi concedatur ex parte Dei volitio libera, per quam ut per efficientem causam determinentur primario tales

effectus reales, & ex consequenti determinentur omnes extrinsecæ denominationes, seu connotationes provenientes ab illis effectibus realibus, erit impossibile rationem reddere, quare mundus in tali instanti creatus fuerit potius, quam antea, vel postea, quare pars hæc materiæ sub forma aquæ, non vero sub forma terræ, vel æris fuerit producta; quare non fuerit producta aliam materiæ possibilis, & alia forma tercia, & aquæ possibilis. Idem interrogare licebit de cæteris omnibus effectibus; etenim se ipsos determinare nequeunt, ac proinde necessario supponunt priorem determinationem in volitione efficaci Dei; quod si prædicta determinatio est prior, non est denominatio ab effectibus proveniens, quoniam istæ sunt posteriores.

Deinde probatur; Quia si decretum efficax ¹²¹ creandi mundum, de formali diceret extrinsecam denominationem proveniente à mundo creando, sequeretur, Deum determinari à mundo, ut illum velit creare, & illum de facto creet; nec habuisset Deum potestatem determinandi se ad creationem, atque potestatem se continendi à tali determinatione. Nam si Deus prius natura se determinat, non expectata determinatione, quæ provenit à mundo creando; iam hæc determinatio est ante omnem denominationem extrinsecam provenientem à mundo creando: consequenter igitur hæc determinatio erit intra Deum increata, & divina.

Urgetur amplius; quia si actus divinæ voluntatis ¹²² completeretur per creaturam, neque in tempore, neque ab æterno daretur decretum efficax liberum Dei, nec haberet formalem libertatem, nec radicalem Deus; sed hoc est hæreticum, & non est affirmandum à Catholico: ergo neque illud, ex quo sequitur hæc hæresis. Minor patet ex supra dictis; sequela Maioris ubi est difficultas, sic ostenditur; quia libertas actualis & formalis decreti debet esse in aliquo subiecto, vel quasi subiecto, quod sit capax illius libertatis: sed nihil est, in quo secundum adversariorum sententiam, & veritatem manifestam possit esse libertas divina actualis: ergo in nullo est ergo nulla est libertas actualis & formalis in Deo. Minor sic probatur; quia non est in entitate Dei cum illa ex eo quod sit ens necessarium, non sit capax illius, non in mutatione facta in lapide, quia talis mutatio non est actus voluntatis divinæ, cum non sit perfectio immanens, nec increta, quod requiritur ad actum volitionis, ut ex se patet: ergo non informatur libertate divina, neque in illis est; Tandem actus liber Dei non potest consistere in toto illo coniuncto, quia ex actu necessario, & ex entitate creatæ, quæ non est actus voluntatis, imo imperfectissima entitas non potest resultare decretum liberum Dei: ergo

SVBSECTIO VI.

Argumentum principale ponitur.

¹²³ **Q**uia actus voluntatis divinæ est vita actualis Dei, sed decretum liberum divinum est actus voluntatis Dei; ergo decretum liberum divinum est vita actualis Dei. Tunc sic vita actualis Dei non potest constitui aliqua entitate creatæ; sed decretum liberum est vita actualis Dei &c. ergo decretum liberum Dei non constituitur formaliter

Quaest. II. In quo consistat actus liber Dei. 317

maior aliqua entitate creatā. Maior secundi syllogismi, in qua est tota difficultas sic demonstratur; quia vita actualis dei est infinita; ac simpliciter simplex perfectio dei, sed infinita, ac simpliciter simplex perfectio non potest constitui formaliter, & essentialiter per aliquam creaturam, aut per aliquod prædicatum formaliter creatum: ergo vita actualis dei non potest constitui per creaturam aliquam. Minor sic probatur; quia perfectio simpliciter simplex infinita debet esse ex integra causa talis, id est, omne constitutum illius debet esse infinitum, & perfectum, & quod evidentiū est, nullum constitutum illius debet esse finitum, & imperfectum; nam si aliquod constitutum illius est imperfectum & finitum, totum constitutum ex tali prædicato finito, & imperfecto erit finitum, & imperfectum, & non infinitum, & perfectum; nam ad hoc, ut in aliquo toto detur denominatio perfecta, debent omnia constitutiva esse perfecta; ut autem detur denominatio imperfecta, sufficit ut quodcumque constitutum sit imperfectum: totum hoc fundatur, & innititur principio, seu axiomatico illo accepto à D. Dionysio de divinis nominibus, & tanquam veritate certissima recepto ab omnibus Theologis, bonum ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu; ut videre est in homine, qui non dicitur spiritualis, licet perfectiorem partem scilicet animam rationalem habeat potius spirituales, ex eo quod habet imperfectius constitutum corporeum, scilicet materiam primam; unde quia denominatio spiritualis est perfecta, & bona simpliciter, & bonum debeat sumi ab integra causa, & non detur integra causa spiritualis in homine constitutiva illius; inde est quod non denominetur spiritualis totus, sed potius denominetur materialis totus, & corporeus, quod est denominatio imperfecta; quia ad illam ex eo quod mala sit, sufficit quicunque defectus, & ut quodcumque constitutum sit imperfectum.

Item ipse homo est mortalis, & non immortalis, est simpliciter corruptibilis, & non incorruptibilis ex eo solum, quod vnum, & hoc minimum constitutum sit corruptibile, & videlicet vñio, quæ solum modus est, licet duo præcipua constitutiva hominis, materia prima videlicet, & anima rationalis sint incorruptibiles. Itaque certissimum est omne constitutum simpliciter perfectum debere habere omnia constitutiva perfecta, & sine dubitatione nullum constitutum debet habere imperfectum, etiam si alia habeat perfecta constitutiva; quia potius ab imperfecto constitutuo denominabitur imperfectum, quam à perfectis perfectum; nam perfectum est numeris omnibus absolutum, id est vniuersaliter debet esse tale; atqui quando deficit aliquid, non est numeris omnibus absolutum; quia omne, & vniuersale includit totū; nam ex defectu cuiuscumque particularis falsificatur vniuersale; unde si in vno solo homine deficiat albedo, falsificabitur propositio vniuersalis, omnis homo est albus; quia omne includit totum: ergo si perfectum simpliciter est vniuersaliter tale, & omnibus numeris absolutum in nullo numero, seu in nullo constitutuo debet deficere, ut verificetur.

224 Sed si infinita perfectio simpliciter simplex dei constitueretur aliqua creatura, haberet aliquod constitutum, non infinitum, & illimitatum, neque perfectum simpliciter, sed potius finitum, limitatum, & perfectum simpliciter: ergo infinita simpliciter simplex perfectio dei non potest constitui ab aliqua creatura. Minor est evidens, quia omnis creatura est simpliciter imperfecta, limitata, ac finita;

ergo si constitueretur infinita, ac simpliciter simplex perfectio dei, aliqua creatura, haberet infinita perfectio dei aliquod constitutum simpliciter imperfectum, finitum, ac limitatum: consequentia illa patet manifeste; quia illud constitutum est simpliciter & absolute imperfectum, quod constituitur aliquo constitutuo imperfecto; sed dei perfectio per vos constituitur per creaturam, quæ est imperfecta simpliciter: ergo tota illa perfectio est imperfecta simpliciter, finita, & limitata; sed infinita perfectio dei non potest esse imperfecta simpliciter, & c. alias esset imperfecta, & perfecta simul, esset deus, & non esset deus: ergo infinita perfectio dei non potest constitui per creaturam.

125 Maior illa, videlicet quod vita actualis dei sit perfectio simpliciter simplex, est evidens, quia omne, quod est formaliter in deo commune toti Trinitati, ac proinde absolutum prædicatum est perfectio simpliciter simplex infinita in deo, ut videre est in omnipotentia, sapientia, substantia, & c. quæ prædicata, quia sunt formaliter in deo, constituendo formaliter ipsum, tanquam communia prædicata respectu omnium personarum, & non propria solum respectu alicuius personæ, sunt perfectiones simpliciter simplices; sed etiam vita actualis, ac formalis est formaliter in deo, & constituit ipsum formaliter in esse viventis actualis formaliter, & vita actualis non est propria solius alicuius personæ, sed potius est commune prædicatum respectu omnium personarum; unde vñica est vita actualis in tribus personis: ergo vita actualis in deo est perfectio simpliciter simplex infinita. Deinde quia perfectio simpliciter simplex est illa, quæ in quocumque subiecto est melior ipsa, quam non ipsa (hoc est quam negatio illius) & quam oppositum ipsius, quam definitione omnes Theologi sumserunt ex D. Anselmo in *Prologio*, c. 5. de qua late egimus *disp. 2. Met. quaest. Vtrum præstindatur ens simpliciter à differentis*; unde sapientia dei est perfectio simpliciter simplex, quia melius est habere sapientiam quam carere illa, & quam habere errorem, & ignorantiam, quæ opponuntur sapientiæ, & idem est de omnipotentia, iustitia, & reliquis; sed melius est deo habere vitam actualem, quam carentiam vitæ, & quam esse inanem in deo: ergo vita actualis in deo est perfectio simpliciter simplex; imo habere vitam actualem in actu ultimo sine vlla formali potentialitate est perfectius, & melius deo, quam habere veram, realem, & formalem potentialitatem, sicut melius est in deo habere existentiam, & actum essendi quam habere potentialitatem ad existendum; quia potentialitas, ut supra demonstravi, imperfectionem dicit: ergo vita actualis purissima sine vlla potentialitate est perfectio simpliciter simplex.

126 Maior prima, & præcipua sic probatur; quia vita diuina adæquata vtrique rationem debet amplecti, intellectus nimirum, & voluntatis; cum in omni subiecto intellectualem coalescat vita illius adæquate ex perceptione veritatis obiecti, & ex prosecutione actuali bonitatis illius; sed perceptio actualis est intellectus, & prosecutio bonitatis est actus voluntatis: ergo vita actualis subiecti intellectualis est actus voluntatis, & actus intellectus, & ex utroque coalescit, sicut in subiecto sensitivo coalescit vita illa adæquata actualis; & in actu secundo, ex cognitione sensitiva, & actione immanenti appetitiva, licet cognitio sit potior & primaria ratio, & secundaria respectu illius sit appetitio; quod patet clarissime, nam actus voluntatis est actus vitalis, & terminus vitalis inextingibilis; atqui talis actio

318 Disputatio XIX. De voluntate diuina.

vitalis, & terminus sunt vita actualis, sicut quia intellectio est actio vitalis, & terminus vitalis est actualis vita intellectualis; ergo similiter actus voluntatis est actualis vita in Deo; præcipue quia in Deo licet dentur voluntas, & intellectus, quæ possint dici vita Dei, non sunt prout in Deo, potentia à parte rei distinctæ realiter ab actuali volitione, & ab actuali intellectione, sicut distinguuntur in creaturis, quia dicit imperfectionem talis modus distinctionis, ac proinde intellectus Dei est ipsa actualis intellectio à parte rei, & voluntas diuina est idem realiter cum actuali volitione diuina, quæ sunt adæquate vita intellectualis Dei; unde Deus nec solum viuunt intelligendo, nec solum viuunt actualiter volendo, sed volendo, & intelligendo simul.

127 Confirmatur tota hæc ratio principalis; quia omnis perfectio simpliciter simplex, quæ in Deo datur, est adæquate spiritualis simplicissima sine vlla compositione reali; sed vita actualis Dei est perfectio simpliciter in Deo: ergo est adæquate spirituali, adæquate infinita, & simplicissima sine vlla compositione reali; ideo enim omnipotentia Dei, misericordia, iustitia, & reliqua attributa sunt simplicissimæ perfectiones sine vlla compositione reali, & adæquate spirituales, quia sunt perfectiones simpliciter simplices in Deo: sed vita actualis Dei v.g. actualis volitio, & actualis intellectio est perfectio simpliciter simplex in Deo: ergo est simplicissima sine vlla compositione reali, & adæquate spiritualis. Tunc si actualis volitio libera Dei constitueretur formaliter per creaturam esset composita realiter, & non esset adæquate spiritualis, sed potius adæquate diceretur corporea, & materialis; sed hoc est summum absurdum aperte demonstratum: ergo actualis vita, quæ est actualis volitio libera Dei non constituitur formaliter per creaturam. Minor illa iam satis demonstrata manet, & præterea sic efficaciter conuincitur, quia quotiescunque immediatum subiectum actualis vitæ est spirituale, vita etiam illius spiritualis est & non corporea; & è contra quotiescunque subiectum immediatum, quod viuunt, est materiale & corporeum, vita etiam materialis, & corporea est; v.g. quia Angelus viuunt intelligendo, & amando per intellectionem, & volitionem, & ipse qui ita viuunt est adæquate spiritualis, etiam actualis vita eius adæquate intellectio nimirum, & volitio est adæquate spiritualis, & quia anima rationalis totaliter, & adæquate est spiritualis, quæ est immediatum subiectum intellectionis, & volitionis humane, etiam illa est spiritualis adæquate; & è contra quia sensatio habet pro subiecto immediato totum leonem in sententia Thomistarum, & in nostra sententia materiam primam, qui totaliter sunt corporea subiecta, ipsa etiam sensatio adæquate materialis, & corporea est, & licet homo secundum totum quod habet, non sit corporeus, quia tamen immediatum subiectum viuendi sensatiue sunt potentia materiales, & corporeæ, ipsa sensatio materialis, & corporea est; sed Deus immediate & formaliter viuunt volitione actuali libera: ergo volitio actualis libera est adæquate & totaliter spiritualis, sicut Deus qui viuunt per illam est adæquate spiritualis.

Maiores illa sic demonstratur, quia si actualis volitio libera Dei constitueretur ultimo per creaturam, vniueretur creatura cum entitate ipsius voluntatis diuinæ ad faciendum vnum actum liberum voluntatis; unde resultaret ex vnione vtriusque vnum totum compositum reale; quia compositum realiter nihil aliud est nisi vnum resultans

ex duabus entitatibus realiter vnitis, quia compositio realis est distinctorum realiter vnio: ergo si volitio libera Dei constitueretur ultimo per creaturam additam supra voluntatem diuinam, actus liber Dei non erit simplicissimus, sed compositus realiter, ex entitate enim creata, & diuina non potest coalescere vnum totum simplicissimum, sed necessario compositum; ideo ex hypostasi Verbi, & ex natura humana non resultat vnum totum simplicissimum; sed potius compositum, quia illud coalescit ex entitate creata, & ex entitate diuina inter se vnitis, sed per vos actus liber Dei, qui est actualis vita ipsius constituitur ex entitate diuinæ voluntatis, & ex creatura, seu actione creata: ergo non est simplicissimus actus, sed compositus realiter.

Et ratio euidens illius non simplicitatis, sed compositionis est, quia illa ratio, quæ simplicissima est, habet summam identitatem inter prædicata, quibus in illo esse simplicissimo constituitur; ita vt si non habeat illam omnimodam identitatem, sed potius distinctionem realem non erit omnino, & simpliciter simplex; vt videre est in substantia Angeli essentialiter considerata: quia omnia prædicata essentialia illius habent identitatem inter se sine distinctione reali, & è contra Angelus in esse suppositi, seu personæ non est simplex, sed compositus realiter, quia constituitur in tali esse per substantiam, & suppositaliter distinctas realiter, & inter se vnitas: sed actus liber Dei constitueretur ex duabus entitatibus, creata nimirum, & diuina, quæ nullo modo identificantur inter se, sed potius distinguuntur realiter: ergo esset compositus realiter.

Dices: ad hoc vt aliquid sit compositum realiter, & non simplex necesse est vt constitutiva illa, quibus constituitur sint realiter vnita, sed actus liber Dei constituitur duobus prædicatis, quæ non vniuntur inter se: ergo non est compositus realiter.

Sed contra, quia quando duo ita concurrunt, vt inter se non vniuntur, & sunt entia completa discreta manent, diuisa, & separata, quia diuisio, discretio, & separatio est carentia vnionis; ideo enim duo homines, duo lapides, & duo Angeli sunt discreti, quia sunt entia completa, & nulla vnione per se inter se copulantur, ac proinde ex tribus illis binarijs fit vnus aceruus & ens per accidens: sed actus liber Dei per se constituitur ex duabus entitatibus completis carentibus vnione: ergo actus liber Dei est aceruus duorum, & ens omnino per accidens, ac proinde est imperfectior, quam si esset compositus ex creatura, & Deo, quia imperfectius est aceruus, & ens omnino per accidens quam ens per se compositum; unde ex hac parte imperfectior erit actus liber Dei, quam actus liber Angeli, siquidem actus liber Angeli licet sit compositus, est ens per se, quia ex qualitate speciei expresse, & ex actione vitali producente illam, quæ inter se vniuntur per se, resultat vnum ens per se vitale; sicut v.g. ex ipso Angelo & creatione, qua producit, quia per se vniuntur inter se, resultat vnum ens per se; imo in sententia multorum ex aduersarijs actus vitalis Angeli est adæquate, & essentialiter sola qualitas, quæ est adæquate simplicissima, & spiritualis, sed quod est adæquate simplicissimum, & spirituale, quod est perfectius ente omnino per accidens: ergo actus vitalis Angeli perfectior erit actu vitali Dei.

Alij respondent, actum vitalem Dei esse vnum ens per se, quia vere creatura, & Deus vniuntur inter se, & per se.

Ergo

Quæst. II. In quo consistat actus liber Dei. 319

Ergo talis actus vitalis Dei v. g. volitio elementis, lapidis, arboris, leonis &c. erit simpliciter corporeus, & materialis, ac proinde excedetur ab actu vitali Angeli, nec erit proportionatus Deo, qui est subiectum immediatum illius; quia corporeus actus cum subiecto immediato adæquate spiritali, vt supra demonstravimus, nullā habet proportionem: ergo non potest esse actus vitalis Dei compositus ex lapide, & voluntate Dei; quia vt iam dixi actus vitalis Dei non potest esse simpliciter corporeus; sequela illa sic demonstratur; quia illud est simpliciter corporeum compositum, quod vel omnes partes habet corporeas, vt leo, arbor, & lapis, vel licet habeat vnam spirituales, aliam habet corpoream; sed actus liber Dei, quia constituitur ex Deo & creatura licet habeat vnam rationem constitutivam spirituales, scilicet Deum & voluntatem divinam, nihilominus vltimum constitutum illius, quod est creatura lapis videlicet, vel leo est simpliciter, & adæquate corporeum; ergo totum compositum ex lapide & Deo, quod dicitur actus liber ipsius, est simpliciter corporeum & materiale. Deinde sequitur actum liberum Dei esse simpliciter corruptibilem; quia creatura à qua constituitur, corruptibilis est; quia ad hanc denominationem vt pote imperfectam sufficit, quod vnum constitutum sit corruptibile, vt videre est in homine.

133 Deinde colligitur ex illa sententia perfectionē divinā realem provenire in rerum natura, talē esse vt partim necessario sit partim potuerit nō esse, & sit contingens formaliter quod admitte re non est minus absurdum in simplicitate, quam per modum compositionis, vt cumque enim intelligatur includit imperfectionem, & diminutionem quandam in ipso esse, quoad eam partem, vel quasi partem, quæ ex eo quod creatura est, posset non esse; vnde quo magis hæc compositio imperfecta attribuitur ipsimet simplici entitati Dei eo cum maiori absurditate, & inconvenienti illi attribuitur.

134 Præter quam quod maiorem repugnantiam, & impossibilitatem involuit, quod entitas Dei, quæ in omnibus perfectionibus, etiam minimis comparatis cum aliis maioribus, vt videre est in relationibus, in præsentia, & aliis habet infinitam simplicitatem, perfectionem, & incorruptibilitatem in perfectissima omnium perfectione, vt est volitio libera, & scientia Dei habeat compositionem realem, materialitatem, corruptibilitatem, & alias imperfectiones; quod omnino incredibile est; nam si illa entitas habere debet vnum simplicissimum esse adæquate spirituale, & infinite perfectum, vt pote ens à se, & non ab alio, sine dubio in vita actuali intellectuali habebit infinitam perfectionem sine vlla imperfectione: ergo sine compositione, corruptibilitate materialitate, &c.

135 Tandem sequitur, quod Deus sit ens incompletum per se, hoc est pars per se, quod est summum absurdum, eo quod Deus sit completus, ex eo quod est omnino perfectus, & omnibus numeris absolutus; ratio enim incompleta per se imperfecta est; vnde incompletum imperfectius est completo.

136 Quod autem sequatur Deum esse incompletum, sic patet, quia nihil aliud est incompletum, & pars per se, quam id, quod ordinatur ad componendum vnum per se, & quod de facto componit vnum per se completum; pars enim dicitur in ordine ad totum & incompletum in ordine

ad completum; sed voluntas Dei, quæ est ipse Deus componit cum creatura actum liberum Dei qui est vnum totum per se: ergo Deus, seu voluntas diuina est ens incompletum per se.

Vltimo confirmatur Argumentum principale; 137 quia omnis actus vitalis est immanens adæquate, & totaliter immanenter existens in viuentē; viuentem enim vt sic est quod viuit per suum actum intrinsece tanquam per intrinsecam perfectionem ipsius, quia siue virtualiter, siue formaliter; vt supra explicuimus, movetur à seipso; vnde viuere vt sic moveri à se est.

Sed actus voluntatis vt sic est actus perfectissimus & adæquate vitalis: ergo est actus perfectissime intrinsece & immanenter existens in volente vt sic: sed decretum liberum Dei, quo prædestinavit v. g. Christum Dominum ad esse Filij Dei est actus adæquate voluntatis: ergo est actus adæquate vitalis, ac proinde adæquate & totaliter immanens intrinsece in ipso Deo. Minor illa sic demonstratur; quia voluntas diuina formaliter non solum est voluntas, sed etiam est libertas, & indifferentia, unde adæquate sumpta voluntas habet vtramque rationem & voluntatis, & libertatis: ergo actus diuinæ prædestinationis non solum est actus voluntatis quatenus volitio, sed etiam quatenus liber, quia secundum rationem volitionis correspondet formalitati voluntatis, & quatenus liber correspondet formalitati libertatis, vnde nulla est perfectio in actu libero prædestinationis, seu formalitas quæ non sit intra gradum volendi, & cui non correspondeat formalitas voluntatis: ergo actus diuinæ prædestinationis adæquate, & totaliter quatenus libera volitio est, est actus voluntatis.

Confirmatur hoc totum, ideo volitio libera hominis, & Angeli, imo & volitio necessaria 139 vtriusque est immanens adæquate, & totaliter in Angelo, & in homine; item volitio, & intellectio Dei, quæ se amat, & intelligit, sunt adæquate immanentes in Deo intrinsece; quia sunt vitales, & ideo creatio, seu productio Angeli, productio hominis, & lapidis non sunt intrinsece immanentes in ipso Deo, sed potius actiones transeuntes, & ideo loquutio Angeli non est actio immanens, sed transiens, quia non sunt actiones vitales, sed causales æquivalentes vniuersalis: ergo omnis actus vitalis est actus intrinsece immanens in viuentē per talem actum, & perfectissime, immanenter quæ, ac intrinsece existens in viuentē; sed omnis actus voluntatis, sicut omnis actus intellectus habet adæquate, & totaliter rationem actus vitalis, quia voluntas est adæquate, & totaliter formalitas vitalis: ergo omnis actus voluntatis est immanens intrinsece in volente, neque vlla ratio potuerit tribui discriminis, cur intellectio, & volitio in Angelo, & homine debeat adæquate immanere in Angelo, & homine, & alia actiones nō, nisi quia sunt vitales adæquate, sed actus liber Dei est adæquate vitalis, quia est adæquate actus voluntatis diuinæ, quæ est facultas adæquate vitalis; sicut actus liber voluntatis hominis, & Angeli sunt adæquate vitales, quia sunt actus adæquate voluntatis liberæ, quæ adæquate, & totaliter est vitalis, nam voluntas, sicut & intellectus, aut formaliter, aut virtualiter emanant, vel radicanur in gradu intellectivo; qui adæquate, & totaliter est vitalis: ergo actus liber Dei adæquate, & totaliter est immanens in ipso Deo, adæquateque ac totaliter existens intrinsece in ipso.

Dices,

Dices, intellectiōem & volitionem liberam Angeli & hominis ideo esse adæquate immanentem in Angelo, & homine, non quia est vitalis, sed quia est creata, imperfecta.

Sed contra, quia volitio Dei, qua se amat, & intellectio, qua se intelligit, non est creata & imperfecta, & nihilominus est immanens in Deo, & intrinsece existens in ipso, non propter aliam rationem, nisi quia est actus ultimus vitalis: ergo ratio quare intellectio, & volitio creata sunt adæquate immanentes in volente, ac intelligente, non est quia sunt limitatæ, & imperfectæ, sed quia sunt vitales, vnde sicut volitio, & intellectio creata tam libera, quam necessaria conveniunt intrinsece cum volitione, & intellectu necessaria Dei in ratione vitali, ita etiam conveniunt in ratione actus immanentis, vnde communiter dicitur omnem actionem vitalem esse immanentem, vnde non potest præscindi à ratione actus vitalis vt sic ratio actus immanentis, quia sunt synonymæ rationes, sed actus liber voluntatis diuinæ est actus adæquate, & totaliter vitalis: ergo est actus adæquate, & totaliter immanens in Deo.

141 Tunc sic, si actus liber Dei constitueretur per actionem creatam ultimo, ac formaliter non esset adæquate immanens nec adæquate vitalis in Deo, sed hoc est absurdum vt probatum manet: ergo actus liber voluntatis dei non constituitur per actionem creatam, seu creaturam aliquam. Maior illa sic probatur, quia ex parte mutationis creaturæ, seu actionis creatæ non est intrinsece actus in Deo, cum creatio illa, seu mutatio, quæ constituit actum liberum non sit intrinsece in deo, sed extra deum quia est actio transiens: ergo actus liber dei ex omni parte constituyente ipsum non est intrinsece immanens in Deo, ac proinde non est vitalis adæquate, & totaliter, quia cum denominatio, & constitutio immanentis, & vitalis sit perfecta debet esse ex integra causa, & ex integro constitutivo illius; sed si constituitur ex actione transeunte, quantum est ex vi illius, non existit immanenter in Deo; ergo ex omni parte, & constitutivo non est immanens, & vitalis in ipso.

Dices, actum voluntatis non esse adæquate vitale, licet actus intellectus sit adæquate vitalis, ac proinde non est adæquate immanens in volente.

142 Sed contra manifeste, quia actus voluntatis, licet nostro modo intelligendi non sit æque perfectus, ac actus intellectus nihilominus, non solum actus intellectus, sed etiam volitio sunt adæquatam exercitium gradus intellectui; sed gradus intellectus est vitalis adæquate cum sit constitutum ex gradu viuentis, & ex differentia intellectualitatis, quæ est quasi forma proportionata contrahens gradum viuentis vt sic, vnde debet totus ille gradus intellectus esse vitalis adæquate, sicut quia gradus viuentis constituitur ex gradu substantiæ, & ex differentia viuendi, quæ est quasi forma proportionata tali gradui, totus ille gradus adæquate est substantialis, & minime accidentalis: ergo similiter si gradus intellectus constituitur ex gradu viuenti, & ex differentia proportionata tali gradui, totus gradus intellectus erit adæquate, & totaliter vitalis: sed exercitium alicuius proportionatum ipsi, debet habere eandem rationem, ac gradus, cuius exercitium est: ergo si actus voluntatis est exercitium gradus intellectui, quatenus vitalis est, sine dubio actus voluntatis liber erit adæquate & totaliter vitalis.

Nec valet dicere, licet actus voluntatis sit vitalis, nihilominus quatenus liberum non posse esse vitalem.

143 Sed contra manifeste, quia sicut voluntas in actu primo non extrahitur à ratione potentiæ vitalis propter libertatem in actu primo, ita etiam actus secundus voluntatis non extrahitur à ratione actus vitalis propter rationem liberi in actu secundo, imo sicut libertas in actu primo indicat manifeste, & eviderter, actu potentiam, cui conuenit formaliter necessario esse potentiam vitalem, quia libertas in actu primo non solum est ita propria potentiæ vitalis, vt nullo modo possit conuenire potentiæ non vitali, sed etiam est perfectissima proprietatis potentiæ maxime vitalis, ratione cuius voluntas dicitur regina, & imperatrix inter omnes potentias; imo D. Augustinus *lib. 1. de Gen. ad litter. cap. 3.* dicit; præcipue hominem esse ad imaginem & similitudinem Dei, qui est ens perfectissime viuens, quia participat à deo potestatem, & dominium supra omnes actiones, & supra omnes appetitus, & operationes. Ita similiter ratio libertatis in actu secundo immediate elicitue indicat actum, cui conuenit immediate esse non solum formalissime vitalem, sed esse totaliter, & adæquate perfectissime vitalem: ergo falsissimum est dicere, quod ratio libertatis in actu secundo extrahat actum liberum à ratione vitalis, ac proinde falsum erit dicere, quod extrahatur ratione libertatis à ratione immanentis intrinsece, quin potius dicendum est, libertatem immediate, & elicitue vt ita dicam conuenientem actui libero, constituit ipsum in ratione perfectissimi immanentis, & intrinsece respectu volentis; sed actus prædestinationis diuinæ v. g. est infinite, & perfectissime liber: ergo ratione talis libertatis est infinite, & perfectissime vitalis, ac proinde perfectissime infinite, & adæquate vitalis; & per consequens adæquate, & totaliter immanens, & intrinsece existens in ipso Deo: ergo intrinsece, & adæquate est deus; quia secundum Concilium Remense quidquid in deo est, Deus est: sed si constitueretur per actionem transeuntem, aut per terminum creatum, nec esset adæquate, & totaliter deus, vt videre est in Christo domino, quia in tali decreto esset actio ipsa quæ non est deus, sed creatura, nec esset adæquate immanens; quia talis actio, à qua constituitur, est actio transiens, & manens extra deum: ergo ne hæc absurda sequantur dicendum est, actum illum liberum dei minime constitui per actionem, aut terminum, seu rem aliquam creatam.

144 Ultimo virgetur; quia deus ex eo quod infinitus, & independens est à creaturis, non indiget illis ad constitutionem & complementum suarum perfectionum, alias ex se non esset sufficiens sibi, neque independens in perfectionibus suis à creaturis, vnde de primo ad ultimum si indiget, & eget creaturis non erit deus; quia deus quatenus talis propter suam infinitam perfectionem non ab alio, sed à se nullius creaturæ indigus est; quod expresse docuit Propheta Rex: Deus meus quod expresse docuit meorum non indiges;] ubi es tu, quia bonorum meorum non indiges;] ubi ponderanda est illa causalis, quia, per quam significat David, ideo deum esse deum, quia nulla creatura indiget; è contra vero si indigeret la creatura indiget; & sic deus non cognoscit, nec non esset deus; & sic deus non cognoscit, nec est sapiens per sapientiam creatam, neque Pater æternus refertur ad Filium per creatam relationem aut constituitur in esse Patris per creatam; quia in esse Patris est deus à se omnino inde

Quaest. II. In quo consistat actus liber Dei. 321

independens, & per consequens nullius indigens; sed etiam Deus in volendo, & praedestinando homines v. g. est infinite perfectus independens, nullius indigens, à se omnino: ergo Deus non praedestinat, neque vult per creaturas, neque completur in esse volentis, nec decernentis per illas; imo si per impossibile scientia visionis creaturarum completeretur, & constitueretur à priori per creaturam futuram, quam videt; quia ex eo quod creatura futura est, videt illam futuram; unde aliquomodo futuritio creaturae antecedit ipsam scientiam, & sic non potest esse vera haec causalis, ideo est futura res, quia videt Deus illam; sed potius è contra est verum, vt iam dixi; nihilominus tamen nullo modo potest actus liber Dei decernens, & faciens creaturam futuritionem, & existentiam, quia est vera causa talis futuritionis unde est vera haec causalis; ideo creatura est futura ab aeterno, & existens in tempore, quia ab aeterno Deus decrevit libere esse futuram, & in tempore existentem, & e contra est falsissima haec causalis; ideo Deus ab aeterno voluit libere creaturam esse futuram, & existentem in tempore quia creatura futura erat & existens in tempore: ex quo euidenter sequitur actum liberum Dei efficacem, ex quo oritur futuritio, & existentia creaturae; quae nullo modo oritur ab actu inefficaci, esse causam talis futuritionis, & existentiae ac proinde esse priorem prioritate naturae existentia ipsa, sed quod est prius non dependet à posteriori, & causa non constituitur à suo effectu: ergo actus liber Dei efficax qui talis est quatenus causa futuritionis, & existentiae, & in quo distinguitur ab actu inefficaci non constituitur à creatura, siue futura, siue actuali.

Dices, licet creatura non constituat actum liberum nihilominus esse conditionem quasi à priori, vt constituitur actus liber Dei, & sic non mirum quod tribuamus rationem existentiae decreti respiciendo connotatum extrinsecum creaturam.

145 Sed contra manifeste, quia absolute tam repugnat, vt aliquis effectus constituat suam causam in esse, quod habet, & per quod produxit effectum, & influxit in illum, quam quod sit conditio, vt existat, & sit causa prior illo effectu, & debeat praesupponi completa ante illum de nouo productum à tali causa vt videre est, quia tantum repugnat v. g. quod filius, aut substantia genita à Patre constituat ipsam substantiam generantis, quam quod sit approximatio, media qua avus filij appropinquat ad producendum Patrem talis filij, unde qui diceret, ignem productum B, ab igne productio esse conditionem, vt produceretur de nouo ignis A, qui producit etiam de nouo ignem B, sine dubio irriteretur à sapientibus; & ratio manifesta à priori est. Quia omne quod est prius causa alienius effectus, à fortiori debet esse prius ipso effectu causato à tali causa: v. g. quia apprehensio obiecti boni est prior volitione illius, etiam debet esse prior habitu productio per talem volitionem; quare sicut avus est prior Patre; ita imo à fortiori debet esse prior nepote, id est filio filij avi; quod fundatur in illo axioma si vincō vincentem te, à fortiori vicā te omnibus circumstantiis eodē modo se habentibus, sed conditio se habens ex parte causa ad productionem effectus est simul cum ipsa causa, ac per consequens est prior ipso effectu: ergo ipse effectus non potest esse conditio se habens ex parte causa ad productionem sui ipsius, & à fortiori non potest esse conditio antecedens

I. P. Tom. II.

productionem suā, causa quia iam ipse effectus esset prior sua causa, ac proinde prior se ipso: ex quo sequeretur idem esse prius, & posterius respectu sui ipsius, sed hoc est maximum absurdum, quia prius refertur ad posterius, sed omne, quod refertur ad aliud est relative oppositum respectu illius, vt videre est in Patre aeterno, qui relative opponitur filio, eo quod refertur ad illum: sed id, quod relative opponitur alteri, distinguitur realiter ab illo: ergo id quod est prius respectu posterioris distinguitur realiter à posteriori, & non est idem cum illo, quia quae distinguuntur non sunt idem: ergo idem non potest esse prius, & posterius respectu sui ipsius: ergo idem non potest esse effectus causa, & conditio se habens ex parte causa ad productionem ipsius effectus & multo minus poterit esse conditio necessaria ad productionem causa talis effectus, & antecedens productionem talis causa.

SVBSECTIO VIII.

Argumentum principale ponitur.

146 **Q**uia omnis denominatio extrinseca actualis debet provenire ab aliqua forma actualis precedente ipsum denominatum ab illa; sicut verbi gratia visio praecedit esse visum, quod denominatur ab ipsa visione, & dexteritas praecedit dexteram, quod constituitur à dexteritate; & ratio evidens est, quia ratio illa, quae constituit aliquod formaliter, est causa formalis illius; forma autem est prior suo effectu, quia omnis causa habet prioritatem respectu illius.

147 Sed nulla est creatura, quae praecedat decretum liberum Dei & à qua denominetur, & constituitur in genere cause formalis tale decretum: ergo nullo modo constituitur extrinsece decretum à creatura. Minor sic probatur; Nam vel constituitur decretum à creatura possibilis vt sic; & hoc non; tum quia alias illa non esset denominatio libera, sed necessaria, vt est possibilis creatura quia eo modo est effectus, quo est forma, à qua essentialiter, & formaliter constituitur, tum etiam quia esset indifferens, & communis omni rei possibili, praeter quam quod cum illud decretum non terminetur primario & per se ad possibilitatem, non potest denominari ab illa; denominatur autem possibilitas decreti à possibilitate mutationis, si aliquid dicendum esset probabile. Vel provenit talis denominatio, & constitutio decreti à creatura ut existenti, vel futura aliquando, & hoc etiam dici non potest, quia omnis creatura tam futura, quam actualis originem ducit ab ipso decreto iam libero; est enim creatura vt sic eo quod Deus per volitionem suam liberam libere vult eam esse: ergo denominatio, quam Deus, vt actu volens dicit ad talem creaturam non potest deriuari à creatura vel existenti, vel futura.

148 Quod sic demonstratur, Quia Deus ex se solo se libere determinat, vt hoc velit potius, quam illud, & ideo non videtur sumi talis denominatio libera decreti antecedens ad omnem mutationem creatam ab aliqua creatura futura, vel actuali; in quo est maxime differentia inter volitionem liberam decernens existentiam rei, & inter scientiam etiam liberam, quod scientia vt ex simpliciter intelligentia fiat visio, & praeter res possibiles se extendat ad repraesentandas res
Sf existen